



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Universus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Disputatio II. De principiis rerum naturalium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

examinentur, inveniuntur non esse propriè practici, sicut licet plantatio arboris sit practica, non tamen productio fructus. Recolenda quæ in Dialecticâ dixi de scientiâ practica & speculativâ d. 10. s. 1.

III. Est verò Physica, scientia ab alijs distincta, saltem Physica est inadaquatè, cum objectum habeat inadquatè saltem ab alijs diversum. Est verò una, non specie sed genere, ob varios parciales tractatus quos instituit de rebus specie distinctis, ut de quantitate, motu,

ubi, vacuo, & similibus. Quare Physica non est unus habitus, sed ex varijs specie & genere distinctis coalescit. Denique medicina non est pars Physicæ, ut aliqui volunt, sed illi subordinata, utpote à qua principia sua desumit, juxta commune illud dictum, ubi desinit Physicus, incipit Medicus, id est conclusiones physicas pro suis principijs sumit medicus. Unde de Physica respectu medicinæ est scientia subalternans, medicina respectu Physicæ subalternata.

Medicina subordinatur Physicæ.

DISPUTATIO II.

De principijs rerum naturalium.

Inter antiquos miratur fuit de rerum naturalium principijs dissenso. Circa rerum naturalium principia mira erat inter antiquos dissenso, alij quippe principiorum rerum ignem dicebant, alij aquam, & suo quisque arbitratu in novam abibat sententiam. Pythagorici ad numeros omnia, ut ad principia reducebant, præcipuè denarium, tanquam numerorum omnium perfectissimum. Alij denique non unum aliquod esse rerum principium asseriebant, sed infinita. Aristoteles itaque his omnibus rejectis, suam tandem opinionem statuit, & nec unum solum esse rerum principium asserit, nec infinita, sed omnino tria, nec plura esse aut pauciora, materiam scilicet, formam, & privationem, de quibus præsens nobis instituenda disputatio.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Principium, & in quo differat à causâ.

I. Principium variè sumitur: primò enim principium idem sonat quod initium, idque sive auratione, quo sensu Aurora principium diei dici solet; vel ordine quodam consecutionis, ut primus palmus vel uncia principium ulnæ, punctum lineæ principium dicitur, id est illud à quo inchoatur, ejus proinde correlativum est finis; vel tandem sit, ut fundamentum est principium domus, quia situ & collocatione est pars ejus infima.

II. Secundò, Principium dicitur unde fit aliquid, est, aut cognoscitur, ut ait Aristoteles, s. Met. c. 1. quæ est latissima principij acceptio, & omni principiorum generi convenit. Sic præmissa dicuntur principia respectu conclusionis, sic ignis, & quicquid aliud efficit, vocatur illius principium: quo sensu Deus rerum omnium principium jure appellatur, utpote à quo, tanquam à primâ causâ, radice, ac fonte esse suum omnia & originem derivant. Omnibus proinde principijs, tam effectivis quam constitutivis competit hæc definitio. Quo etiam sensu ait S. Thomas 1. p. q. 33. a. 1. corp. Principium est id à quo aliquid procedit quocunque modo, ubi, ut rectè advertit P. Suar. 12. Met. lect. 1. n. 12. verbum procedit non est sumendum strictè pro verâ origine, sed pro connexionne quacunque vel constitutione. Hoc modo sumptum principium latius patet quàm causa, quæ semper influit, non tamen semper influit principium, ut constat in Aurora respectu diei, ac privatione respectu eorum quæ in dies generantur. Ac proinde licet omnis causa sit principium, non tamen omne principium est causa.

III. Tertio, sumitur nonnumquam principium ut idem sit quod primum in aliqua serie, & ab alio originem in eodem genere non ducat, quod proinde

R. P. Th. Comprens. Philosophia.

duo involvit, positivum alterum, alterum negativum: sic Adamus principium dicitur hominum. Et hoc sensu latius patet causa quàm principium, cum causa hoc non exigit, ut constet. Re tamen verâ hæc principij acceptio non congruit omnibus principijs, ratio enim principij potius est esse prius, quàm primum: unde Noë, Abraham & alij erant principia multorum hominum, & non fuerunt primi. Primum ergo idem sonat ac principium omnium, quod omni principio non competit.

IV. Notandum tamen, id quod est primum in uno genere, posse habere principium sui in alio: sic Adamus licet hominum omnium principium fuerit, ac parens, principium tamen sui habuit Deum. Imò in eodem genere quod est aliquibus posterius, est prius alijs, seu illorum principium, ut constat in Abrahamo, Davide, & alijs, qui licet respectu multorum hominum fuerint principium, homines tamen alios habuerant principium sui.

V. Quod diximus conceptum principij esse ut sit prius illo ejus est principium, in creatis est indubitatum, in Divinis dissident Theologi, alij enim cum D. Thomâ nullam omnino admittunt in Divinis S. Thomas prioritatem, nec Patrem ullo modo esse priorem Filio asserunt, cum simul naturâ sint & cognitione, utpote correlativa, licet S. Thomas 1. p. q. 42. a. 3. corp. & q. 33. a. 1. ad 3. inter Divinas Personas ordinem originis concedat, omnem tamen ab ijs prioritatem secludendam asserit. Alij verò & plures ajunt non refugiendum inter Divinas Personas prioritatem quandam concedere originis, cum Pater verè producat Filium, Pater simul & Filius Spiritum Sanctum, sed negandum tantum asserunt prioritatem durationis & naturæ. At questio fermè est de nomine.

VI. Quarto, strictissimè sumitur principium pro eo à quo aliquid per se & physicè oritur, quo tamen sensu non semper recurrit cum causâ, Filius liquidem in Divinis verè oritur à Patre, Pater tamen illius causa non est, cum Filius in Divinis à Patre non dependeat, ut docent Theologi. Licet etiam Pater sit principium Filij, Filius tamen nunquam vocatur principium à Patre, quia principium sonat idem ac factum, vel quod habet initium essendi, ac proinde correlativum principij dici non debet principiatum, sed procedens à principio, quamvis si per principiatum nihil intelligatur aliud quam id quod procedit à principio, seu quod habet principium, dici potest principiatum correlativum principij.

VII. Principia alia intrinseca, ut materia & forma, & quæcunque intrinsecè ullo modo, seu per unionem aliquam ad rei ejusque constitutionem concurrunt: alia extrinseca, ut causa finalis & efficiens respectu suorum effectuum.

S a

Juxta

VIII.
Aristoteles
diversis
locis variè
accipit
principium

Iuxta has ergo varias principij acceptiones intelligi debent quedam loca Aristotelis conciliati alioqui difficultia, quandoquidem enim, ut quinto de generat. Animalium cap. 7. de ratione principij esse ait, ut ipsam quidem causam sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa, quod tamen causæ non competit, ut vidimus: unde juxta hoc dictum latius patet causa quam principium. Hic tamen inter principia numerat privationem, unde etiam juxta ipsum latius patere debet principium quam causa. 4. verò Met. c. 2. ait, ita inter se comparari principium & causam sicut ens & unum, quæ tamen converti inter se certum est. In primo ergo loco loquitur de primo principio in aliquo ordine, imò de primo principio in tota latitudine entis, quod certum est nullum aliud principium sui habere posse, tunc enim primum non esset, causa autem hoc in suo conceptu non dicit, nisi capiatur pro primâ. Imò 11. Met. c. 2. vocat etiam privationem causam, unde manifestè apparet latè aliquando Aristotelem accipere nomen principij & causæ. Quòd verò ait inter se comparari principium & causam, ut ens & unum, non vult dicere converti sicut ens & unum, sed probat ens & unum identificari sicut identificantur principium & causa, non quidem universim accepta, sed indefinitè: sin autem velit converti, intelligi debet de principijs intrinsicis.

IX.
Quo sensu
Græci Patres
nomen
causæ ut
surpent in
Divinis.

Si quando verò (quod sæpè faciunt) Græci Patres nomen causæ usurpent in Divinis, & Patrem vocent causam Filij, interpretandi sunt de causâ latè sumptâ, ut monent Theologi omnes, dum de Processionibus Divinis disputant. In quo autem consistat ratio causæ strictè sumptæ, dicitur infra. Hæc pro præfenti instituto sufficiunt.

SECTIO II.

Expenditur Definitio Principiorum corporis naturalis ab Aristotele assignata.

I.
Explicitatur
Definitio
Principio-
rum corpo-
ris natura-
lis.

Corporis seu compositi naturalis Principia sic definit Aristoteles hic cap. 5. tex. 42. Principia sunt, quæ neque ex se invicem sunt, neque ex alijs, & ex ipsis omnia. Hæc definitio ut jacet, convenit omni primo principio in suo ordine, ut constat, si enim sit primum, non fit ex se, nec ex alijs, sed omnia, scilicet principia (nam nullum est omnino principium, saltem intrinsecum, ex quo fiunt omnia) fiunt ex illo: unde hoc modo latè sumpta competit Deo primo principio efficienti, licet enim particula ex communiter denotet principia intrinseca, vel terminum à quo, nonnumquam tamen applicari etiam solet principio extrinseco efficienti, vel physice aliquo modo concurrenti, sic enim dicitur quis ex tali vel tali familiâ, talibus parentibus, & hujusmodi; item omnes homines sunt ex Adamo & Evâ, nec tamen familia aut parentes sunt pars intrinsecè hominis constitutiva, sed causa solum efficiens extrinseca. Præterea Ioan. 8. dicitur, Qui ex Deo est, verba Dei audit, Deus tamen respectu nullius est causa intrinseca. Filius item in Divinis dicitur procedere ex Patre, Sp. Sanctus ex Patre & Filio. Licet ergo communiter particula ex denotet causam intrinsecam, materiam scilicet & formam, ut homo constat ex animâ & corpore, vel quasi causam intrinsecam, seu materiam ex qua, ut domus ex ligno constat, camentis, lateribus; causæ tamen efficienti, vel principio producenti nonnumquam applicatur, ut vidimus.

IV.

Variè itaque à varijs explicatur & restringitur hæc definitio, ut solis competat materia, forma, & privationi, quæ sola hic definire intendisse Aristote-

lem, (licet P. Hurtado d. a. phys. sect. 2. aliud censet) Hanc definiendū videtur ostendi, quia definitio ab eo tradita nō competit nequit causis omnibus & principijs compositi naturalis, ut vult P. Hurt. causæ enim finales convenire non potest, cum particula ex illi omnino applicari nequeat, nec enim res sunt ex, sed propter finem. Deinde enumerans principia, quorum definitionem tradiderat, ait tantum esse tria, materiam scilicet, formam, & privationem, Aristoteles autem optimus est sui interpres, sicque in fine capituli sexti sic habet, unum itaque elementum non esse, nec duobus aut tribus plura manifestum est: scd, si inter elementa hæc, enumeretur efficiens, imò & finalis, ut vult P. Hurt. manifestum est plura esse duobus aut tribus. Præterea asserit Aristoteles universim principia esse contraria, quod tamen efficienti & finali omnino non competit, ergo definitionem hanc nō statuit pro omnibus principijs & causis rei naturalis, sed pro materiâ tantum formâ, & privatione.

Ut ergo his tribus principijs tantum competat definitio, notandum illam duas habere partes, in primâ negativam, secundam affirmativam. In primâ ergo parte vult non fieri principia ex se invicem, vel ex alijs tanquam ex partibus essentialibus & intrinsecè constitutivis, quod etiam innuere videtur verbum sunt, licet enim nonnumquam applicetur ad causam vel principium efficienter vel quasi efficienter concurrens, communiter tamen & maxime propriè, ut dixi, denotat constitutionem & partes intrinsecas, ut navis est ex ligno, annulus ex auro, arbor ex radice, trunco & ramis, corpus naturale ex materia & forma. Licet ergo forma universim fiat ex privatione tanquam termino à quo, & forma materialis ex materia tanquam subiecto, nec materia tamen, nec privatio sunt partes essentielles & intrinsecè constitutivæ formæ.

In secunda verò parte, ubi asserit Philosophus omnia esse ex ipsis, intelligi debet particula ex sub disunctione, id est, tanquam ex partibus intrinsecè constitutivis, vel termino à quo: sic in primâ acceptione homo fit ex materiâ & animâ rationali, in secunda ex non igne fit ignis, ex non albo album, & similia. Quòd autem particula ex in diversis definitionis partibus sumatur diversimodè, nemini mirum videri debet, tum quia partes in se sunt valde diversæ, affirmativa scilicet & negativa, tum quia subiecta materia id requirit: tertio, quia latius patet secunda pars quam prima, quæ proinde diverso modo sumi debet: quarto denique, quia ut multi probabiliter asserunt, hæc definitio non est physice una.

Alio modo explicari hæc definitio posset, nempe ut non sint ex se vel alijs in eodem genere, & sub eadem ratione, sed omnia physica composita sint ex ipsis tanquam ex partibus essentialibus, aut termino à quo. Ubi per secundam partem optimè excluditur causa, vel principium efficiens, & finis, quæ nec partes essentielles alicujus rei, nec terminus à quo esse possunt. In primâ verò definitionis parte salvatur quomodo principia ex se invicem non fiant, quamvis forma ex materiâ fiat tanquam ex subiecto, & ex privatione tanquam termino à quo, forma enim non fit ex illis in eodem genere, aut tanquam ex formâ seu principio formali, vel in genere causæ formalis, ut est manifestum.

Dices primò: Privatio habet terminum à quo, nam ær sicut ex tenebroso fit lucidus, ita & ex lucido fit tenebrosus, & Petrus ex vidente cæcus, ergo quomodo tenebræ lucem habent pro termino à quo, cæcitas habet visionem. In secundo modo explicandi definitionem principiorum difficilius solvitur hæc difficultas, cum Privatio, quæ est principium tanquam terminus à quo, videatur hic habere principium sui in eodè genere.

III.
Ostenditur
quomodo
his solis
tribus
Principijs
competat
hæc Definitio.

IV.
Quomodo
omnia sint
ex materiâ
& formâ
& privatione.

V.
Alia explicatio
Definitionis
Principiorum.

VI.
An, &
quomodo
Privatio
habet
terminum
à quo.

nere seu terminum a quo. Dici tamen posset Privationem habere quidem terminum a quo, sed in longè diverso ordine, nam forma habet terminum a quo privativum, privatio positivum, qui sunt diverſi ordines terminorum. At in nostro modo explicandi definitionem, responsio facilis est & expedita, non enim negamus posse principia habere terminum a quo, sed dicimus non habere ea terminum a quo, ut partem sui intrinsecè constitutivam: lux verò non constituit intrinsecè tenebras, ut pars illarum, nec visio cæcitatem, cum simul stare non possint.

VII.

Materia & forma materialis habent partes integrantes, non essentielles.

Differentia inter partes integrantes & essentielles.

VIII.

Partes physicae constāt ex metaphysicis.

In quo differant Principia Physica & metaphysica.

Dices secundò, materia & forma materialis habent partes materiales & formales ex quibus constant, ergo principia sunt ex seipsis, & constant partibus, materialibus illa, hæc formalibus. Confirmatur, constant ex genere & differentia, ergo ex partibus. Ad argumentum, distinguo antecedens, habent partes entitativas seu integrales, concedo antecedens; essentielles, nego: partes autem integrales non sunt propriè principia, sed partes principij, quippe quæ ad unum integrum principium constituendum concurrunt, nec obstant simplicitati principiorum, quæ cum sint principia corporis substantialis, seu constantis ex materia & formâ, in eâ tantum ratione esse debent simplicia, id est, ut materia non constet ex alijs materijs, nec forma ex alijs formis substantialibus, sic enim prima in suo genere non essent. In hoc autem differt pars integralis ab essentiali, quòd hæc ablata, vel deunita, auferatur compositum, ablata enim aut deunita vel materia vel formâ, animâ scilicet in homine, illico destruitur homo, ablata autem parte integrali, non destruitur conceptus essentialis hominis, sed manet homo quoad id quod dicit essentialiter, licet non integer, sed mancus & mutilus. Quod idem est de alijs compositis naturalibus. Ablata ergo parte integrali, manet essentia in ratione essentiali, licet non in ratione integritatis, seu essentiali integraliter completæ, licet maneat completa essentialiter.

Ad confirmationem dico, sermonem hic esse de principijs tantum physicis, non metaphysicis, nec enim illorum simplicitati obstat compositio metaphysica seu per intellectum, hæc enim nec Angeli simplicitati repugnat, nec impedit quòd minùs sint primæ, seu principia in suo genere, & physice. In hoc verò etiam differunt principia physica & metaphysica, ut in Logica notavi dum de ente, quod hæc ita sint principia, ut in alia similia nonnunquam resolvi possint, animal enim suum habet genus & differentiam, & sic de alijs ascendendo usque ad ens; physica verò principia in alia similia resolvi ulterius non possunt, materiæ enim non datur materia, nec formæ forma, licet & materia & forma principia habere possint metaphysica, genus scilicet & differentiam: sicut etiam partes metaphysicæ includunt partes physicas, animal enim non à materia tantum abstrahitur, sed à forma, ut in Logica ostendi.

SECTIO III.

Quot sint principia rerum naturalium.

I. Res naturalis in fieri, & in facto esse.

Notandum primò, dupliciter sumi posse res naturales, in fieri, & in facto esse. Sermonem ergo instituere de rebus naturalibus in fieri, est penè perinde ac loqui de earum generatione seu productione; de iisdem verò loqui in facto esse, idem est ac de ijs jam in suo esse constitutis differere, & extra causas existentibus.

R. P. Th. Comptoni Philosophia.

Notandum secundò, generationem accipi tripliciter, vel ut generatio est, vel ut conversio, vel tandem ut mutatio. Procedit ergo difficultas præcipue de Privatione, nam de materiâ & formâ, nulla videtur controversia, cum enim generatio substantialis (de qua solâ est in præsentì sermo) in quocunque sensu sumatur, sive ut mutatio, sive ut conversio, semper sit generatio, duo necessariò requirit, terminum substantialem, & subjectum, è cuius potentiâ terminus ille educatur, nam generatio esteductio alienius ex alio, ac proinde ut actio, requirit terminum, ut talis actio, subjectum. In hoc quippe differt generatio à creatione, quòd creatio licet terminum requirat necessariò, non tamen requirit subjectum, ut constet in creatione Angeli, qui nec est, nec esse potest in subjecto. Cum ergo receptum apud omnes sit, tria esse Principia generationis, materiam scilicet, formam, & privationem, peculiariter hic ostendendum quomodo sit vel non sit Privatio principium generationis & rei naturalis.

Prima Conclusio: De conceptu generationis ut mutatio est, sunt hæc tria principia, materia, forma, & Privatio. De materia & formâ proximè ostensum est, quoad illas enim eadem est ratio generationis, quocunque sensu sumatur. De privatione ergo proponitur, mutatio quâ mutatio petit rem quæ mutatur, aliter se habere quàm antea, ergo petit illam habere aliquid quod antea non habebat, ergo habebat illius privationem; nam non habere formam quam apta est habere, & habere illius privationem, idem sunt, ergo mutatio in quantum mutatio petit tanquam terminum a quo privationem formæ, quam inducit.

Confirmatur primò, definiri solet mutatio quòd sit transitus alienius subjecti de tali vel tali non esse ad tale esse; sed in hac definitione includitur Privatio, ut constet, ergo de conceptu mutationis quâ talis est Privatio. Confirmatur secundò, ex mutationibus accidentalibus, ut cum aer de tenebroso fit lucidus, Petrus de non vidente videns, necessariò in aère præcedit privatio lucis, in Petro visionis, alioqui minimè transirent de non lucido, aut non vidente ad lucidum & videntem: eodem ergo modo philosophandum est de mutatione substantiali, in qua æquè requiritur privatio termini substantialis, atque in priori termini accidentalis, cum hoc solum intersit inter mutationem accidentalem, quæ alteratio dicitur, & substantialem, quòd hæc terminum ad quem, seu quem producit, substantialem habeat, illa accidentalem.

De conceptu ergo intrinsecò substantialis generationis ut mutatio est, in obliquo sunt hæc tria, primò, materia, cum enim in mutatione esse debeat aliquid, quod aliter se habeat per rem aliquam in se de novo receptam, manere commune aliquod subjectum debet quod transeat de nō esse tali ad esse tale, alioqui non posset dici mutari, cum nihil maneat quòd mutetur, secundò, forma substantialis, per quâ scilicet materia aliter se habeat substantialiter quàm antea, tertio privatio, de qua jam satis est dictum. Quòd autem in omni mutatione naturali quam videmus, recedat ut etiam à formâ positivâ (nam generatio unius est corruptio alterius, ut generatio ignis corruptio ligni) id ad rationem mutationis planè se habet per accidens, nam si materia sine omni formâ existeret, æquè esset mutatio, si ignis in eâ produceret formam ignis (quo tamen casu non recederetur à formâ positivâ) atque modo cū corrumpitur forma ligni, nam aliter se haberet subjectum quàm prius.

Dices, materia tunc non mutaret, seu acquireret novam formam, priore amisâ, ergo non esset in eâ mutatio. Nego consequentiam, ad hoc enim ut mutari

VI.

*Si subjectum
mutetur
sufficit quod
habeat for-
mam, quā
antea non
habeat.*

*Si induta
forma igni-
tis, Deus
conferret
formam
ligni, mate-
ria substanti-
aliter
mutaretur.*

VII.
*Generatio
sub concep-
tu conver-
sionis re-
quirat ter-
minum à
quo positi-
vum.*

VIII.
*Privatio
non est de
conceptu
generationis,
ut ge-
neratio est.*

tari dicatur intrinsecè subjectum, sufficit quod aliter se habeat intrinsecè quàm antea, quod modò contingit, cum habeat in se intrinsecè formam quam antea non habebat: sicut nullus negat mutari aërem cum de tenebroso fit lucidus, nec Petrum cum de non-intelligente, aut volente intelligens fit aut volens, esto nullam formam mutaret, nec cessaret ab ullo alio actu, dum actum intellectus, amoris, vel odij elicit: sicut etiam licet Angelus non diceretur mutare locum, si retento priori loco acquireret novum, mutaretur tamen vel extrinsecè per extrinsecam correspondentiam ad novum locum, vel intrinsecè per novam ubicationis susceptionem, quam antea non habebat. Unde alterius dico, si dum ignis productus in materiā ligni formam ignis, Deus conservaret adhuc in eadem materiā formam ligni, tam esset mutata illa materia, & actio illa tam foret mutatio, atque modò, aliter enim se haberet subjectum quàm antea. Ad mutationem namque non requiritur terminus à quo positivus, sed solum ad motum propriè dictum, qui duplicem includit mutationem, positivam ac privativam, & bifariam mutatur subjectum, ut cum aqua ex calidā fit frigida, mutatur enim positivè per novam frigiditatem in eā productam, & privativè per novam carentiam caloris, quam antea carentiam non habebat.

Secunda Conclusio: generatio sub conceptu conversionis requirit terminum à quo positivum. Patet, nam conversio est transitus seu mutatio unius rei in aliam, ut ligni in ignem, aquæ in vinum, & similia. Unde ad generationem ut conversio est, non minus requiritur terminus à quo positivus, seu forma destructa, quàm ad eam sub conceptu mutationis privatio formæ inducenda. Hic tamen non est sermo de principijs generationis ut conversio est, sed solum ut mutatio. Solum adverto, totum subinde verti in aliud, panem scilicet in corpus Christi, ubi non forma solum panis, sed & materia per transubstantiationem convertitur, & vocatur conversio totalis. Aliquando sola forma transit in aliud, ut in conversionibus quotidianis, dum ex ligno fit ignis: quæ conversiones tantum sunt partiales, cum materia maneat ut commune subjectum. Qua de re in libris de generatione.

Tertia Conclusio: de conceptu generationis præcisè ut generatio est, non est ulla privatio, est contra Combricenses hic, & P. Suar. d. 15. Met. l. 3. n. 4. & multos ex recentioribus. Probatur primò à priori: conceptus generationis, ut generatio est præcisè, non est aliud quàmeductio formæ à potentiâ materiæ, sed hoc fieri potest licet eodem instante reali simul forma producatur cum materiâ, ergo. Confirmatur, juxta probabilem sententiam, & ab his auctoribus admissam, potuit ignis produci ab æterno: in quo casu æquè verè fuisset generata forma ignis, seueducta è potentiâ materiæ, ac modò, sed tunc privationem non habuisset pro principio, ergo. Probo minorem, quod omnino non fuit, à fortiori non fuit in materiâ, sed privatio formæ tunc omnino nunquam fuisset, cum semper fuisset forma, ergo à fortiori non fuisset privatio formæ in materiâ: sicut valet, Anti-Christus omnino non fuit, ergo à fortiori nunquā fuit in hac regione, insulâ, vel civitate. Confirmatur secundò, materia in eo casu nunquam non habuisset illam formam, ergo nunquam fuisset in materiâ illius privatio. Sicut si Deus ab æterno creasset Solem, & in eo Angelum, nunquam fuisset negatio Angeli in sole, quia semper fuisset in eo Angelus. Confirmatur tertio, Deus intuens materiam illam, nunquam nō vidisset in eā formam ignis, ergo nunquam in eā non fuisset forma illa, ergo nunquā fuisset in eā privatio illius formæ, nec unquam potuit

Deus dicere, jam materia non habet hanc formam seu habet privationem hujus formæ, ergo in illa materiâ nunquam fuisset formæ illius privatio.

Secundò probatur in omni sententia: ponamus (quod verè contingit in primâ rerum conditione) nunc in instante A produci materiam informatam formâ aquæ, nunquam extitit illa materia sine formâ illâ aquæ, ergo nunquam erat privatio illius formæ in hac materiâ, nam implicat esse simul in eodem subjecto, saltem eodem loco, formam & privationem formæ, sic enim contra lumen naturæ idem esset simul & non esset: si enim forma esset in materiâ simul cum privatione sui, esset simul in eadem cum non esse sui, ergo in eodem instante reali esset simul, & non esset in eadem materiâ. Confirmatur, si Deus in eodem instante reali quo crearet hoc gymnasium v.g. produceret in eo Petrum, nunquam quando esset gymnasium, videret Angelus Petrum non esse in hoc gymnasio, ergo nunquam videret in eo negationem Petri, ergo nunquam in illo fuit hæc negatio. Idem planè est in nostro casu.

Dices, (& est fundamentum contrariæ sententiæ) in eodem instante reali varia distingui possunt instantia rationis, & prioritatem ac posterioritatem naturæ: cum ergo sol sit prior naturâ luce, ut pote causa illius, & materiâ similiter sit prior naturâ formâ, pro illo priori nec materiâ habet formam, nec sol lucem, ergo in illo priore est in materiâ privatio formæ, in sole lucis. Sed vitiosus est hic argumentandi modus, nec enim sequitur, materiâ est prior natura formæ, ergo est cum privatione formæ, sic enim toto illo instante formam habere non posset, alioquin in eodem instante reali esset simul forma in materiâ, & non esset. Non ergo à prioritate naturæ aut rationis deduci argumentum potest ad instans reale.

Resp. ergo distinguendo antecedens, pro illo priori nec materiâ habet formam, nec sol lucem præcisè, id est concipi possunt non conceptâ vel luce vel formâ, concedo consequentiam; negativè, id est concipi possunt cum negatione lucis vel formæ, nego. Cum enim semper dum fuit sol habuerit lucem, & materiâ formam, nunquam potuerunt verè concipi negativè sine luce vel formâ, id est cum eorum negationibus, sed solum præcisè, id est concipi potest sol vel materiâ, non conceptâ luce vel formâ. Unde similiter est consequentia, ad hoc enim ut materiâ habeat privationem formæ, non sufficit ut sit quomodocunque prior, prioritate scilicet rationis aut naturæ formæ, seu quod concipi possit præcisè sine ea, sed debet esse prior negativè, seu quod in aliquo instante reali non habeat formam. Non ergo valet, pro illo priori nō habet formam, ergo pro illo priori habet privationem formæ, quia pro illo priori solum non habet formam præcisè, non negativè, id est, & à forma præscindit, & privatione formæ.

Instabis, quando in eodem instante reali producit materiam & formam eam informans, procedit forma de non esse in materiâ, nam verè ante productionem non erat in materiâ seu subjecto; ergo antea erat illius privatio, nam privatio est carentia formæ in subjecto apto, sed antea forma non erat in subjecto apto, ergo antea erat ejus privatio. Si hoc modo defenderetur hæc sententia, solveretur utcumque hoc argumentum, præsertim si quis dicat, privationem non requirere actualem existentiam subjecti, sed adequatè consistere in negatione talis formæ & unionis, quam sententiam probavi d. 18. Log. l. 8. & 10. n. 3. sed urgentur adhuc, quando ignis seu materiâ simul cum forma producitur ab æterno. Resp. tamen secundò, distinguendo primum antecedens, procedit forma de non esse in materiâ, id est de non esse quod aliquando vel pro ullo instante fuit in materiâ.

IX.
*Ostenditur
ulteriorius
Privationem
non esse de
conceptu
generationis.*

X.

*A signis
seu instanti-
bus ratio-
nis non rea-
dè argui-
tur ad in-
stantia rea-
lis duratio-
nis.*

XI.

*Sol, pro
priori na-
turæ, quo-
lucem pro-
duxit, ha-
buit se præ-
cisè.*

XII.

*Quomodo
in primâ
rerum ge-
neratione
forma præ-
cessit de non
esse in ma-
teriâ, adesse
in materiâ.*

SECTIO IV.

Soluntur argumenta contra numerum Principiorum.

teria, nego antecedens; de non esse in materia lato quodam modo sumpto, concedo: ut autem strictè dicatur forma procedere à privatione, intelligi debet procedere de non esse, seu negatione quæ fuit aliquando in materia vel subiecto.

XIII. Tertiò probatur conclusio, si enim prioritas naturæ sufficiat ut materia dicatur habere privationem formæ, sequeretur singulis instantibus quibus forma est in illa materia, esse privationem formæ in eadem. Probatur, si in primo instante sit in materia privatio formæ ob prioritatem naturæ; ergo & in secundo, cum eadem tunc sit natura prioritas, nam prius est materia apta in secundo instante ad habendam formam, quam eam habeat; ergo concipi potest præcisè etiam in illo instante sine formâ, & sic de singulis instantibus, cum in ijs omnibus prius sit materia apta ad habendam naturam; quam eam actu habeat, & sol ad producendam vel conservandam lucem, quam eam vel producat actu vel conservet: sed in primo instante est in materia privatio formæ ob hanc prioritatem naturæ; ergo & erit eadem privatio in secundo, cum sit eadem etiam in eo naturæ prioritas, & sic de omnibus alijs instantibus.

XIV. Dices, si sol producat in se lucem, & materia formam, ergo supponi videtur non eas habere, non enim eas in se producerent, si prius haberent. Resp. non habere eas prius quam illas in se producant, sed eodem instante, quod cum sit primum instans quo sol & materia sunt, ut supponimus, nunquam, seu nullo instante fuerunt sine illis, quia nullo instante reali erat verum dicere, est materia, in quo non erat similiter verum dicere, est in ea forma.

XV. Quartò probatur conclusio à priori; & quæro num illi priori naturæ correspondeat instans aliquod reale temporis, vel non? si non, ergo nullo instante reali fuit materia sine formâ, vel cum ejus privatione, sed in aliquo instante reali materia verè fuit causa formæ, & prior naturâ quam illa, ergo non est idem materiam esse causam formæ, seu priorem naturâ quam sit forma, & habere illius privationem. Confirmatur, toto illo instante materia habet formam, & sol lucem, ergo neutrum tunc habet illius privationem, cum instans illud sit indivisibile. Conf. secundo, hinc sequeretur Angelos & primos parentes fuisse creatos in purâ naturâ, nam in aliquo priori naturæ apti erant ad recipiendam gratiam, antè quam eam receperunt, ergo in illo priori, secundum hunc Philosophandi modum, habebant gratiæ negationem, & nec habebant gratiam nec peccatum, ergo erant in purâ naturâ.

XVI. Quarta conclusio: Rei naturalis in facto esse duo sunt tantum principia, nempe materia & forma. Ita Philosophi communiter, & habetur ex Aristotele hic c. 7. tex 65. Ratio est, quia per hæc duo principia absque ullo alio intelligitur constitutum corpus seu compositum naturale permanentem, ad compositum enim, per se loquendo, non nisi duæ requiruntur partes, & saltem duæ sunt necessariae, compositio siquidem est aliquorum simul positio, si autem aliqua esse debeant, pauciora certè esse quam duo nequeunt. Conf. eo ipso quod intelligatur subiectum substantiale completum per formam substantialem, intelligitur compositum substantiale constitutum, nec quidquam aliud ad illius conceptum requiritur: licet enim privatio ad illud in fieri sit necessaria, seu in transmutari, ut scilicet subiectum aliter se habeat quam antea, de conceptu tamen compositi jam constituti & permanentis non est privatio, de illius enim conceptu nihil est præter partes actu constituentes seu unitas.

Objicies primò contra ultimam conclusionem; I. substantiam spectare ad constitutionem corporis seu compositi naturalis, ergo sunt tria ejus principia in facto esse. Resp. negando Antecedens, nam tota essentia corporis naturalis in ratione essentiae seu naturæ intelligitur non intellectâ substantiâ, eo enim ipso quod intelligatur anima rationalis, v.g. unita materiæ, intelligitur totus conceptus essentialis naturæ humanæ; unde vocatur substantia ultimus terminus & complementum naturæ, & quid extra illius conceptum, quod inde constat, Christus enim totam habet naturam & essentiam humanam, licet substantiam humanam non habeat. Dicitur tamen posset substantia principium suppositi, sicut materia & forma compositi.

Objicies secundo; unio essentialiter requiritur ad constitutionem corporis naturalis, idque permanentem, ergo erit illius principium, ergo sunt tria principia compositi naturalis in facto esse. Resp. distinguendo antecedens, unio essentialiter requiritur ad constitutionem compositi naturalis, ut causalitas seu exercitium materiæ & formæ, concedo antecedens; ut principium ab ijs distinctum, nego: causalitas enim nunquam constituit diversum principium à causâ, ut in causâ efficiente constat, ubi actio combustiva non constituit diversum principium ab igne. Materia ergo unita, & forma unita sunt principia compositi naturalis in actu secundo, sicque unio est principium *in quo*, & exercitium principiorum, non principium.

Objicies tertio contra primam conclusionem; cum ex ligno sit ignis, receditur à formâ ligni, ergo sunt duo termini à quo, & consequenter quatuor principia. Hoc argumentum solutum est sect. præcedente ante secundam conclusionem. Dico ergo, per accidens se habere formam illam positivam ad rationem mutationis, utpote de cujus conceptu non est, ut ibi latius. Concomitanter ergo se habet expulso illius formæ, non tamen ad mutationem ut mutatio est, sed solum ad conversionem est necessaria.

Objicies quartò, Aristotelem hic c. 6. dicentem; privationem esse principium ex accidente. Resp. solum velle Aristotelem, privationem esse extra essentialium conceptum rei in facto esse, res quippe eadem esset si processisset à privatione, si non, sicut jam manet totus conceptus essentialis & intrinsecus hominis vel ignis sine privatione. Rei ergo in se accidentalis est privatio, non autem illi ut in fieri, & rebus se habentibus ut jam se habent, seu in mutari.

Objicies quintò; Privatio non est quid reale, ergo non potest esse principium. Conf. primò, quod est principium, esse debet quando principiat, sed privatio nec est, nec esse potest quando compositum producit, nam tunc esset simul cum formâ quâ privat, ergo Privatio omnino non est principium. Conf. secundo, principium & principiatum sunt correlativa, ergo principium tunc esse debet quando est principiatum, sed privatio nunquam est quando est corpus naturale, ergo Privatio non potest esse principium.

Ad argumentum, omisso antecedente, distinguo consequens, non potest esse principium ut ens reale, vel ut pars constituens compositum, transeat consequentia; ut terminus à quo, seu privativus, & qui esset adveniente formâ, nego.

S 4

Ad

VII.
Ad quod
principiat
per modum
termini a
quo, non
necessario
est, quando
principiat.

Ad primam confirmationem, Resp. primò distinguendo antecedens, id quod principiat per modum partis permanentis, & physicè ac realiter constituentis compositum, debet esse quando principiat, concedo antecedens; id quod principiat per modum termini a quo receditur, dum producit compositum, nego: tunc enim non principiat per modum termini a quo, conceptus enim principij per modum termini a quo, seu a quo receditur, non est ut sit quando est principiatum, sed potius ut non sit, sed fuerit. Dicitur ergo illud, principium esse debet quando principiat, verum tantum est de ijs principijs quæ principiant aliquid efficiendo vel constituendo, hæc enim principiant essendo, ut constat, cum nec efficere, nec constituere quidquam possint quod non est: at verò terminus a quo principiat non essendo, sed desinendo, ita tamen tunc non est, ut necessario debeat immediatè antea fuisse. Et hoc innuere videtur ipsa notio termini a quo, idem enim sonat atque a quo receditur. Sicut ergo in motu locali ille est terminus a quo receditur, qui relinquitur cum primò inchoatur motus vel mutatio localis, ita terminus a quo in existentia seu productione, esse debet illud quod relinquitur, seu a quo receditur in ratione existendi, seu quod definit esse, ac proinde non debet esse quando principiat, sed principiare ipsius est fuisse immediatè antea & tunc non esse.

VIII.
Mutatio
quæ talis
est successi-
va.

Secundò dici posset mutationem quæ talem, esse successivam, & includere duo instantia, dicit enim subjectum aliter se habere quàm antea, ac proinde significare videtur subjectum sub utroque termino, sub quibus cum simul esse non possit, debet esse successivè, & sic mutari erit esse uno instante sub privatione formæ, & sequente sub formâ, sicque essentialiter includit duo instantia, & est quid successivum.

IX.

Eodem modo resp. ad secundam confirmationem, nempe hoc esse peculiare in termino a quo tam positivo quàm privativo, ut non sit quando est principiatum, quia principiatum fit recedendo ab illo in existentia. Unde dictum illud, correlativa debere esse simul, intelligi debet de correlativis proprijs & positivis, non de quibuscunque, ut constat in correlatione expellens & expulsi. Imò nec verum habet in omnibus positivis, nam prius & posterius sunt aliquo modo correlativa, & tamen esse simul quæ talia, non possunt.

Correlati-
va esse de-
beant simul,
quo modo
intelligen-
dum.

X.

Objicies sextò; dispositiones præparant & disponunt materiam ad recipiendam formam, ergo sunt priores formâ, & illius generatione, ergo principia generationis & formæ, & consequenter corporis naturalis. Resp. primò, dispositiones reduci ad genus causæ materialis, quia unum quali integrum principium constituunt cum materia, utpote quæ sine illis non est proximè ad formam recipiendam apta. Secundò dico, dispositiones non esse de conceptu essentiali mutationis substantialis ut mutatio est, sed illius essentia salvari sine ijs potest: at tria hæc principia, materia scilicet, forma, & privatio, ita sunt ad intrinsecum illius conceptum necessaria, ut illarum quavis sublata tollatur conceptus mutationis.

XI.

Objicies septimò; in omni mutatione substantiali etiam requiritur efficiens, ergo sunt quatuor principia. Ad solutionem norandam, mutationem duplicem esse, causalem seu effectivam, & formalem: causalis est ipsa actio, quæ in tantum dicitur mutatio, in quantum subjectum mutatur per terminum quem actio producit. Formalis mutatio est illa quæ fit per formam seu terminum productum, & in utraq; solvenda est objectio. Quoad mutationem ergo formalem, seu per formam (de qua præcipue loqui videtur Aristoteles, dum principia rerum natura-

Mutatio est
duplex,
causalis &
formalis.

lium enumerat) licet hæc fieri quidem non possit sine actione vel mutatione causali, cum sine ea forma produci non possit, actio tamen rationem formalem hujus mutationis non ingreditur, sed in hoc præcisè consistit, quod forma informando materiam reddat eam aliter se habentem quàm antea, in quo conceptu formaliter non includitur actio, sed solum præsuppositivè, quia scilicet sine ea existente, forma vel terminus existere non possunt. Quo etiam modo requiritur ut forma informet, cum nec forma, nec unio esse sine actione possit: actio tamen rationem formalem informationis, vel unionis non ingreditur. Sicut ergo ratio formalis informationis præcisè non includit actionem, est illam necessario præsupponat, ita ratio & conceptus mutationis formalis, quæ nihil aliud est quàm talis informatio, nempe connotans essentialiter subjectum extitisse immediatè ante sine tali formâ, non includit actionem. Sive ergo producatur forma per generationem, sive per creationem, eodem semper modo fit mutatio formalis, si eadem forma eandem informet materiam, & à suâ privatione recedat. Imò ulterius addo, si forma illa esset à se, & sine actione ullâ productivâ, si tamen informaret materiam, & expelleret privationem sui, esset tam mutatio formalis, quàm modò est, ibi siquidem haberetur totus conceptus formalis mutationis, quæ esse dicitur, quæ subjectum se habet aliter quàm antea, vel ut alia fert definitio, quæ subjectum transit de non esse tali ad esse tale: licet autem forma esset à se, si tamen verè inesset & informaret subjectum, verè subjectum transiret de non esse tali ad esse tale: nec minus paries redderetur de non albo albus & mutaretur, si albedo adveniret ipsi à se, & illum informaret, quàm modò cum per actionem producitur.

Dices, transitus seu transitio includit essentialiter actionem, ergo. Distinguo antecedens, transitus vel transitio causalis, seu effectiva, concedo antecedens; formalis, nego: res enim formaliter transit de non esse ad esse per suam existentiam, quæ non est actio, sed ipsa entitas, scilicet & res esse dicitur extra causas causaliter per actionem, formaliter per suam entitatem & existentiam. Unde in illâ aliâ definitione mutationis, ut vidimus, non ponitur transitus, sed solum dicitur, mutatio est quæ subjectum se habet aliter quàm antea. At verò de conceptu mutationis ita sunt hæc tria, materia, forma, & privatio, ut omnino nec est sine illis mutatio, nec concipi possit, ut supra ostensum est.

XII.

Transitus
causalis in-
cludit actionem, non
transitus
formalis.

Dices, assignat Aristoteles principia rerum in fieri, ergo includit actionem. Resp. res in fieri dupliciter sumi posse, vel reduplicativè & complexè, ut scilicet includant ipsum fieri, seu actionem, vel specificativè & incomplexè, pro primo scilicet instante quo sunt & mutant, vel mutantur: primo ergo instante quo compositum est, dicitur esse in fieri, quia tum primò existit. Si ergo hoc modo sumantur res naturales, seu corpora naturalia in fieri, non potest esse de eorum conceptu essentiali ulla actio, & tamen intelligitur subjectum mutari per formam, ergo de conceptu essentiali mutationis formalis non est actio formaliter, sed solum præsuppositivè.

XIII.

Res in fieri
dupliciter
sumuntur,
reduplica-
tivè, vel
specificati-
vè.

Si autem sermo sit de mutatione causali & efficiente, seu de actione, hæc dupliciter considerari potest, vel prout procedit ab agente, & sub hac ratione essentialiter requirit principium sui causam efficientem, sed non est hic de ea sermo sub hac consideratione, cum sub hac ratione non sit mutatio, sed prout tenet se ex parte materiæ & termini, sub hoc autem conceptu necessario requirit illa tria principia, materiam, formam, & privationem. Unde nec actionis, ut mutatio est formaliter, sunt plura principia quàm hæc

XIV.

Mutatio
etiam cau-
salis, seu
actio, dupli-
citer sumi-
tur.

hæc tria, ut enim est ab agente formaliter, non est mutatio intrinseca, ut sic enim formaliter nihil mutat, sed ut recipitur in subiecto, & illud vel per se, vel terminum a se productum immutat.

XV. Obijes octavo; ad productionem novæ formæ, ignis v.g. in materia ligni, requiri privationem formæ ligni, cum enim materia non sit capax duarum simul formarum, nova induci forma nequit, nisi expulsa vetere, ergo necessario requiritur illius privatio, ergo privatio illa erit principium actionis inducentis novam formam, sicque erunt quatuor principia. Resp. quidquid sit, utrum privatio formæ præcedentis sit dispositio necne ad formam sequentem introducendam, de quo alibi. Resp. inquam, privationem hanc ad conceptum essentiali mutationis non requiri, cum licet Deus conservaret formam priorem in materia, adhuc esset mutatio, cum subiectum aliter se haberet quam antea. Unde principia essentialia mutationis, quæ mutatio est, non sunt nisi tria hæc, materia, forma, & privatio formæ inducendæ, utpote quæ sola, & semper ad conceptum mutationis per se requiruntur. Privatio autem formæ præexistentis est potius de conceptu conversionis, quam mutationis.

Privatio formæ præcedentis non est de conceptu essentiali mutationis.

XVI. Obijes nono; Privatio est carentia formæ in subiecto apto, ergo nunquam datur privatio, cum enim subiectum semper habeat aliquam formam, & dum illam habet, non possit suscipere aliam, nunquam est subiectum aptum. Distinguo hoc ultimum, non est subiectum aptum in sensu composito, quod habeat aliam formam, concedo; in sensu diviso, seu secundum se, nego. Quod de calore, & frigore in gradibus intensis, & sexcentis huiusmodi dici ab omnibus debet.

Subiectum est aptum ad novam formam in sensu diviso, non in composito præcedentis.

SECTIO V.

Reliqua circa Principia corporis naturalis.

I. Primum est, Principia esse contraria, seu sibi opposita: quod de formâ & privatione est clarum, cum opponantur contradictoriè. Materia & forma in rigore contraria esse non possunt, contraria enim sunt quæ maxime distant, & ab eodem se subiecto expellunt; materia autem subiectum habere non potest. Deinde est subiectum formæ, & cum eâ ad con-

Quomodo Principia sint contraria.

stitutionem corporis naturalis conjungitur, ergo non repugnat esse cum formâ. Tandem juxta Aristotelem c. de substantia, *Substantia nihil est propriè contrarium*. Solum ergo dici possunt materia & forma contraria, vel quia opponuntur relativè, cum mutua relatione transcendentali se invicem respiciant, vel quia valde diversum & quasi contrarium habent modum principiandi, & constituendi corpus seu compositum naturale, materia sustentando, forma informando.

Secundum est, utrum materia, forma & privatio univoca sint an analoga? Dico, ad minimum esse analoga, non in ratione entis tantum, sed etiam in ratione Principij, cum Privatio in ratione principij modum essentialiter diversum habeat à materiâ & formâ. Existimo tamen probabile privationem convenire univocè in ratione Principij cum termino à quo positivo, cum formâ ligni e.g. dum inducitur forma ignis, & cum frigore, dum inducitur calor, quia scilicet ratione & modo principiandi conveniunt, nempe desinendo, & tanquam id à quo in mutatione & conversione receditur.

Materia, forma, & privatio sunt analogæ, non solum in ratione entis, sed in Principij.

Tertium est, quæ de generatione substantiali dicta sunt, omnia ferè convenire etiam accidentali, cum in hoc ferè solum differant, quod illa terminum habeat substantialem, hæc accidentalem. Notandum tamen, non omnem generationem, accidentalem esse mutationem, nec formam accidentalem procedere semper à privatione sui: si enim potentia animæ, intellectus & voluntas distinguantur realiter ab animâ, & in ipsâ subiectentur, dimanentque ab eâ tanquam passionibus ejus & proprietatibus primo instante quo creatur, nunquam propriè fuerunt in animâ illarum privationes. Idem est de alijs proprietatibus & passionibus, si quæ sint quæ dimanant & subiectentur in formis, ut de ubicatione, duratione, & alijs modis, vel etiam in rebus simplicibus, ut sunt species Angelicæ. Cum autem materia à primâ rerum creatione semper eadem permanferit, omnis generatio substantialis est mutatio, & sit ex privatione formæ inductæ, exceptâ omnium primâ, quam nec cognovit, nec de eâ locutus est Aristoteles, qui cælos & prima corpora posuit æterna. Eæ etiam generationes & productiones formarum excipi debent quæ miraculosè fiunt corruptis speciebus Sacramentalibus, ubi simul cum materiâ comproducitur etiam forma substantialis.

Quæ de generatione substantiali dicta sunt, omnia ferè conveniunt etiam accidentali.

Omnis generatio substantialis est mutatio, non omnis accidentalis.

DISPUTATIO III.

De primo Principio, nempe Materiâ primâ secundum se.

DE tribus corporis naturalis Principijs generatim diximus; nunc uniuscujusque sigillatim naturam disquiremus. Primò itaque agemus de materiâ, quæ sicut generationis & mutationis rerum, ita & nostræ erit disputationis fundamentum.

SECTIO I.

An detur Materia prima: Vbi, an elementa sint formaliter in mixto.

Conclusio: datur in rebus materia prima, quæ sit subiectum mutationis substantialis, estque

substantiale subiectum, ex quo omnia corpora materialia, seu composita physica constituuntur. Ita rebus materialibus communis Philosophorum propè omnium cum Aristotele sententia. Secunda conclusionis pars, quod scilicet materia sit subiectum substantiale, constat, quia est subiectum mutationis substantialis, accedens autem subiectum substantiæ esse nequit. Deinde, constituit compositum substantiale, quod accidenti non convenit, quippe quod constituere solum potest compositum accidentale, nec facit unum per se cum substantiâ, sed unum tantum per accedens. Ratio autem à priori est, quia in compositis naturalibus dari debet primum aliquod subiectum, sed hoc non potest esse accedens, ergo, Major est ceteris aliis qui

Datur in rebus materialibus materia prima.

Ratio à priori est, quia debet dari primum aliquod subiectum substantiale.